



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



HIERONYMI DANDINI

Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE HUMORIBVS.

LIBER SECVNDVS.

P R A E F A T I O.

Compositio cor-
poris ex humo-
ribus.



Alter hic de humoribus aget
liber, antequàm in animati
corporis consideratione
progrediar ulterius. Quo-
niam post primam illam ex
elementis eorumque qua-
litaribus permissione, quæ
huic corporum generi cum
alijs plerisq. communis est; alteram quandam ex
humoribus compositionem illius propriam,
tum Hippocrates, tum alij veteres medici tradi-
derunt: ex qua proximè animalis corporis partes
existant. Sanè Aristoteles in 2. lib. de partibus
animalium cap. 1. compositionem hanc neglexisse
videtur, dum ex elementis solum homogeneas
nostrorum corporum partes constare prodidit.
Ut virtute duntaxat ex humoribus consistere cre-
di possit; quatenus hi elementis persimiles sunt
& proportione quadam respondent.

De humoribus
qui agant.

Ceterum ad animalium vitam sustentandam
necessarij prorsus esse existimantur; Et vniuersa
eorum cognitio per se iucunda est sapientiq. me-
dico ac philosopho cum primis opportuna. Hinc
enim principia omnia corporis animati & qua-
cunque in eo insunt nosse oportet. Illum verò,
vt idem ipse affirmavit Hippocrates, vel quisquis
fuit autor lib. de veteri medicina, humorũ vires ac
facultates oportet habere perspectas: optimèq.
intelligere, quid in humano corpore singuli pos-
sint, quas habeant qualitates, an vnus in alium
mutari queat, quæ sit cuiusque præcipua sedes,
qua ratione corrigi & emendari possit, si intem-
perantior; aut omninò purgari, si nimius euaserit.
Nisi enim hæc omnia nouerit medicus, humani
corporis incolunitati, quæ in eorum omnium
temperacione ac proportione consistit, minimè
poterit prouidere.

Itaq. iure optimo Galenus in libro de atra bili,

& cap. 8. & 9. lib. 2. de naturalibus facultatibus,
succenset Erasistrato, quod non solum de illis
nihil scripsisset, sed illorum cognitionem medico
proflus inutilem esse pronuntiaffet: Nec ego eos,
qui de natura scripserunt, parùm miror: qui et si
hanc partem non omninò prætermiserunt, mi-
nus tamè accuratè ac pro dignitate pettractatũ;
& propriũ ipsorũ patrimoniu diripiendũ alijs ac
dissipandũ reliquerũt. Nã quis eorũ numerus sit,
quænis & natura, quæ qualitates, quæ origo, quod
in corpore domicilium, quæ inter eos cognatio;
quæ mutatio, ac demũ quo modo ex illis animaliu
corpora reficiantur & sustententur; philoso-
phicam nimirum contemplationem naturæque
peruestigationem habent omnia. Turpèque est
Philosophum hæc in medicorum voluminibus
querere, quæ à philosopho illi perdiscere debuis-
sent; atque illud vnum addere, quod suæ artis
proprium est; qua ratione illorum temperies in
corpore conseruetur, perturbatæ emendetur
& corrigatur. Age igitur ea quæ philosophi sunt,
complectatur hic liber exponatque breuissimè,
nec alienam messem inique inuadat.

INESSE IN ANIMALIYM
corporibus humorem quempiam.

C A P V T I.



Vmorem hoc loco non qualitatem
eam appellamus, quæ inter principes
quatuor aduersatur siccitati, &
vires à Græcis dicitur: sed corpus
humidum, quod vjçdũ appellatur. Non aërem
autaquam: sed mistum quidpiam quod in anima-
lis corpore tum humidum sit, tum liquidum &
profluens.

Humor quid, si
quis suplex.